



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theologia Moralis**

**Reiffenstuel, Anaklet**

**Monachii, 1699**

IX. De Ludo, & Sponsonibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40206**

ventione intra limites iusti pretij, seu iustæ æstimationis: quia iusticia pretij non consistit in indivisibili.

Invitus regulariter cogi non potest ad vendendum.

100. Quæres ulterius, an quis invitus cogi possit ad vendendum rem suam? Resp. cum communi, id regulariter loquendo fieri non posse. Ratio est: quia quilibet est dominus rei suæ, sicque de ea disponere potest pro libitu, vel eam retinere, prout sibi placuerit.

Fallit in casu publicæ necessitatis.

101. Dicitur, *regulariter loquendo*: nam sunt excipiendi aliqui casus, in quibus etiam invitus cogitur vendere rem suam. Primò quidem, in casu publicæ necessitatis: sic enim, si publica urgeat necessitas, v. g. tempore inopiæ frumenti, aut aliorum victualium ad usum quotidianum requisitorum, possunt iusto per Magistratum taxato pretio subditi cogi ad vendendum ejusmodi res pro sublevanda publica necessitate.

Atque ob publicum favorem.

102. Secundo, ob publicum etiam favorem cogitur quis vendere rem suam: sic quippe, si domus v. g. vel fundus privatorum personarum necessarius sit ad constructionem, vel ampliacionem Civitatis, vel viæ publicæ, aut Principis Palatii, sive Templi, Monasterij, Collegij, vel etiam Hospitalis, cogitur quis ejusmodi domum, vel fundum taliter necessarium, iusto pretio vendere. Siquidem in hujusmodi casibus favor publicæ utilitatis, vel necessitatis, præponderare debet privatis commodis. Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 17. §. 5. n. 4.* & alij.

## Q U Æ S T I O IX.

### De Ludo, & Sponsionibus.

Ludus dupliciter accipitur.

103. **Q**uantum ad primum attinet, Ludus dupliciter accipitur. I. Pro dictis, vel factis, ad oblectationem animi destinatis. II. Pro contractu, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit. Et in isto posteriori sensu hic de Ludo agitur.

Ludus Contractus, an licitus?

104. **CONCL.** I. Ludus contractus Jure naturæ est licitus, dummodò debitæ conditiones adsint. Ita communis. Ratio est: quia sicut in potestate cujuslibet est, rem suam alteri donare absolutè, ita etiam in alterum transferre sub quapiam conditione, sive ea fortuita sit, sive ex intentione pendeat. Quinimò si Ludus debito modo instituat, erit actus duarum virtutum, Justitiæ videlicet, ac Eutrapeliæ; simulque utilis esse potest

est ad vitandum otium, & quæ inde consequuntur mala. Layman *loc. cit. cap. 21. n. 1.* & alij.

105. CONCL. II. Tres potissimum conditiones requiruntur ad iusticiam contractus Ludi. Primò ut ludentes habeant liberam dispositionem rei, quam in Ludum deponunt. Hinc quando alter ludentium non potest rem depositam alienare, ut Religiosus invito Prælato (secus, accedente ejus consensu) & Filius familias non habens bona castrensia, vel quasi castrensia, neque alia à patre sibi concessa ad animi oblectationem, seu liberam administrationem; tunc is neque Ludo quidquam acquirere, neque perdere potest: unde si lucretur, tenetur ad restitutionem; sicut & ille, qui ab eo lucratus est. Lessius *lib. 2. de just. & jure, cap. 26. n. 32.* Layman *n. 5.* & alij.

Tres conditiones ad iusticiam Ludi requiritæ.

I.

106. Secunda conditio ad iusticiam contractus Ludi requisita, est, ut alter alterum per injuriam, utputa minis, fraude vel convitijs, ad Ludum non pertraxerit: alioquin enim, si ille sic pertractus perdat, alter est ei causa damni per injuriam, ac proinde tenetur ipsi ad restitutionem; ut docet Lessius *ibidem n. 7.* Cajetanus, Covarruvias, Sotus, & communior aliorum: etsi quidam non improbabiler oppositum teneant, eò quòd talis simpliciter voluntariè luserit, & solùm secundùm quid involuntariè.

II.

107. Tertia conditio iusticiæ Ludus est, ut ludentes non utantur fraudibus contra leges Ludi; alioquin tenentur ad restitutionem ejus, quod sic lucrati sunt. Porrò leges Ludi sunt, quas ipsi ludentes communi consensu inter se statuerunt, aut si nihil speciale statuerint, quæ eo loco communi consuetudine sunt receptæ. Nihilominus astutiæ illæ, quæ vel communi consuetudine receptæ sunt, vel in quas expressè aut tacitè ludentes consentiunt, sunt licitæ: ut si quis, advertens se lucraturum, provocet adversarium ad duplum deponendum; aut si videat errantem in numerandis signis, & non moneat: quilibet enim suas duntaxat partes agit.

III.

108. CONCL. III. An ludere principaliter propter lucrum, sit peccatum, & quale, variant Doctores. Non desunt, qui id grave peccatum reputent, ut Gabriel, Abulensis, alijque, quos pro hac sententia refert Lugo *disp. 31. de just. & jure, sect. 1. num. 3.* Fundamentum eorum est: quia sic desideratur, & intenditur principaliter damnum proximi; quod pugnat contra illud decimum Præceptum Decalogi: *Non concupisces rem proximi tui.*

Ludere principaliter propter lucrum, an sit peccatum?

Uuu

Verum

Verum hæc sententia passim relinquitur: tum quia contra dictum Præceptum duntaxat est, desiderare rem proximi modo illicito, v. g. cupiendo eam acquirere per furta, rapinas, vel dolos; non autem modolcito, volendo, ut ea res fiat tua per iustum contractum, utputà per Emptionem, Donationem, Ludum &c. Tum quia alioquin lucrum nullatenus intendi posset, ne quidem ut finis minùs principalis; quod est contra communem sensum hominum.

Alia responsio.

109. Alij itaque multi volunt, ludere principaliter propter lucrum, esse peccatum saltem veniale. Ita Navarrus *cap. 20. Manualis*, num. 7. & 8. Azorius, & alij. Ratio eorum est: tum quia finis Ludi est recreatio licita, non autem lucrum: tum quia Ludus cum illa intentione factus, continet avaritiam. Cæterum quia desiderium lucri, nisi nimium sit, non semper continet avaritiam, cum possit lucrum honestè appeti, & procurari; hinc Lugo *cit. sect. 1. num. 4.* ait, quòd quando debitæ circumstantiæ concurrerent, non sit, cur damnetur peccati venialis, qui propter lucrum principaliter ludit.

Lusus alearum est Clericis, & Religiosis prohibitus.

110. CONCL. IV. Nihilominùs Clericis, & Religiosis, Jure Canonico prohibitus est Lusus alearum. Ita habetur *can. 42. & 43. Apostolorum*, ac refertur *can. 1. dist. 35.* ibi: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, alea atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur. Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor similia faciens aut desinat, aut communionem privetur: similiter etiam Laicus.* Concordat textus *cap. Clerici, de Vita & honest. Cleric.* ibi: *Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.* Et Concilium Trid. *Sess. 22. cap. 1. de Reformat.* ubi omnes antiquos Canones quoad hoc innovavit.

Per Lusum alearum quid intelligatur?

111. Porrò nomine Lusùs alearum in Jure significantur omnes illi Ludi, qui magis fortunâ, quàm arte & industriâ ludentium reguntur. Et licet Doctores advertant, textus Juris allegatos loqui de ijs, qui non semel vel bis, aut ad breve tempus recreationis gratiâ, & in modica quantitate luserint; sed de ijs, qui ejusmodi Ludo prohibito *deserviunt*, id est, crebrò, & per longum tempus ludunt: nihilominùs plerique norant, Religiosos adhuc magis Lusum alearum dedecere, simulque ab ipsis propter Statum perfectiorem, & scandalum, posse graviùs in hoc genere delinqui.

Lusus alearum etiam

112. CONCL. V. Lusus alearum etiam Laicis est de jure prohibitus. Patet hoc tum ex *cit. cap. 1. dist. 35.* tum ex *l. Alea. tit. 11.*

num. C. de Religiosis & sumptibus funerum : ubi alearum usus generaliter prohibetur, adeo ut nulli liceat in publicis, vel privatis domibus, vel locis ludere, neque inspicere: & si contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio, sed solutum reddatur, & actionibus competentibus repetatur ab ijs, qui dederunt &c. Hæc ibi. Cujus quidem saluberrimæ constitutionis (quæ, utinam! ubique terrarum esset in vigore) ratio ibidem redditur: quia quidam sic ludentes proprias perdiderunt substantias, & consequenter blasphemare, id est, Deo maledicere conantur.

113. CONCL. VI. Utrum is, qui Ludo prohibito aliquid est lucratus, teneatur ad illius restitutionem, variant Doctores. Affirmant D. Thomas in 4. dist. 15. q. 2. art. 4. Richardus, & alij. Communior tamen sententia tenet, acquisita Ludo prohibito posse retineri, neque necessariò in Foro conscientie restituenda esse, donec per sententiam Judicis restitui jubeantur. Ita Covarruvias in cap. Peccatum, de Reg. Jur. in 6. §. 4. n. 1. Lessius cit. cap. 26. n. 17. Sannig, & alij. Ratio est: quia contractus Ludi Jure nature habet vim transferendi rerum dominium: Jus autem tum Civile, tum Canonicum, etsi prohibeat Ludum alearum, nullibi tamen prohibet translationem dominij, neque irritum reddit contractum Ludi, sed solum concedit perdenti repetitionem in Judicio, adeo ut per sententiam Judicis recuperari debeat amissum; prout desumitur ex citatis supra n. 112. textibus Juris. Unde inferitur, non sufficere, ut repetitio privatim fiat; aut etiam, ut fiat in Judicio, nisi sequatur condemnatio, qua victor jubeatur restituere: de hac enim loquitur Jus loc. cit. ac proinde ante secutam condemnationem Judicis victor nihil tenetur restituere. Lessius num. 19. Layman cit. cap. 21. n. 2. & alij.

114. CONCL. VII. Quantum ad alteram partem Quæstionis attinet, Sponsio est contractus, in quo duo aut plures de veritate, vel eventu alicujus rei contendentes, sibi vicissim aliquid spondent, ut ejus sit, qui veritatem sit assecutus. Ita in re communis. Et quidem Sponsionis contractus est Ludo valde affinis; ac proinde, quæ de Ludo dicuntur, possunt servatâ proportionem ad hunc contractum applicari.

115. Quæres autem, an certus de eventu, vel veritate rei, possit nihilominus Sponsionem inire, atque inde lucrum accipere? Resp. regulariter loquendo non posse. Ratio est: quia tunc vel error dat causam contractui; neque enim quispiam sensetur velle spondere cum eo, qui habet certitudinem rei.

Uuu 2

Vel

Nisi post-  
modum in-  
cipiat du-  
bitare,

Vel saltem non servatur æqualitas; cum hic, utpote certus, nulli periculo perdendi sese exponat, bene tamen alter.

116. Dicitur, *regulariter loquendo*. Nam inprimis ille, qui à principio certus videbatur de veritate rei, quam sustinebat, si postea altero pertinaciter contradicente, ac spondere volente, incipiat formidare, & dubitare, advertens, jam aliàs contigisse, ut deceptus fuerit etiam in iis, quæ sibi prius certa apparebant; poterit tunc licitè lucrari, propter aliquale illud periculum, cui in sua existimatione se exposuit. Ita Lugo *cit. disp. 31. n. 79.* Molina, & alij.

Aut prote-  
stetur alte-  
ri

117. Deinde si habens certitudinem protestetur alteri, se esse certum, nec velle nec posse spondere, eò quòd nulli periculo se exponat; & tamen ille alius contendat, velitque spondere, non obstante certitudine illà, multi Doctores volunt, Sponsionem acceptari, lucrumque retineri posse. Rationem dant: quia tunc nullam intervenit fraus, aut injuria, sibi que debet alteri imputare suam temeritatem. Sunt tamen alij Doctores, qui id negant; eò quòd tunc non servetur æqualitas, quæ requiritur ad contractum Sponsionis, ut uterque aliquale periculum subeat, possitque & vincere, & vinci. Lugo *ibidem n. 18.* & alij. In praxi expeditius erit, sequi dicta *num. præc.*

Valet jura-  
mentum,  
vel votum,  
non am-  
plius luden-  
di.

118. Quæres, quid sentiendum de Juramento, & Voto non amplius ludendi, vel spondendi; Resp. I. Quamvis Ludus secundum se sit res indifferens, & quæ potest bene vel male fieri, nihilominus Votum, vel Juramentum de abstinendo à Ludo, validum est. Ita Sanchez *lib. 3. in Decalogum, cap. 18. n. 1.* Lugo *loc. cit. n. 2.* contra paucos alios, qui putarunt, votum vel juramentum de abstinendo à quolibet Ludo, etiam licito, esse invalidum, eò quòd Ludus licitus sit actus virtutis Eurapeliæ. Probatum autem Conclusio à simili: Quia valet votum, & juramentum, abstinendi à Matrimonio, quod tamen res bona est, & Sacramentum; ergò multò magis abstinendi à delectatione Ludi, ut quis Deo amplius vacare possit, vitareque peccata non raro inter ludendum fieri solita: nam hæc voluntas est de meliori bono.

Sed quale?

119. Hoc tamen intelligendum est de Voto, vel Juramento deliberatè factò, atque ad bonum finem ordinato: alioquin enim, sicut generaliter votum, vel juramentum de re indifferenti, atque in Deo honorem nullatenus conducente non valet, ita & in proposito fieret.


120. Resp.

120. Resp. II. Quando violatio talis Juramenti, vel Voti, sit grave vel leve peccatum, desumendum est ex intentione jurantis, vel voventis. Ratio est: quia votum, & juramentum, est quædam privata lex, quam quis sibi ipsi propter Deum imponit; ergo eatenus aliquis obligabitur, quatenus intendebat sese obligare. Unde vovens, vel jurans deliberatè, quòd velit abstinere ab omni Lusu, sive illicito, sive licito, sive in magna, sive in modica quantitate, tenebitur abstinere ab omni: secùs, si vovit, vel juravit solum abstinentiam ab illicito, vel Lusu magnæ quantitatatis.

Violatio talis juramenti, quale peccatum?

121. Resp. III. Quando non constat de expressa jurantis, vel voventis intentione, tunc ea ex ipsius fine desumenda erit. Ita Sanchez *loc. cit. num. 3.* idque declaratur inductione. Sic imprimis, quando finis jurantis fuit, privare se temporali hac delectatione, ut peccata sua punire, Deo que magis servire valeat, si non constat de alia ejus intentione, censetur sub hoc juramento omni Lusu, sive magnæ, sive parvæ quantitatatis renunciassè; & tunc, an fractio sit mortalis, vel venialis, dijudicandum est ex duratione Ludi. Quòd si finis jurantis, vel voventis, fuit vitare jacturam pecuniæ, ipsamque prodigalitatem, tunc ex quantitate pecuniæ Ludo expositæ pensanda erit quantitas culpæ; imò si tunc ludatur in levi duntaxat quantitate, nullum erit peccatum.

Hoc amplius declaratur.



# TRACTATUS IX.

## DE PRÆCEPTIS DECALOGI,

UBI ET

### DE RESTITUTIONE.

I. **D**ecalogi nomine intelliguntur decem Præcepta illa, quæ olim ministerio Angelorum in duabus Tabulis lapideis descripta, & per manus Moysis Populo Israëlito tradita, & promulgata fuerunt, prout legitur *cap. 20. Exodi, & cap. 5. Deuteronomij,* ac alibi. Eorum priora tria Deum immediatè respiciunt, dicunturque *Præcepta primæ Tabulæ*: septem posteriora Proximum spectant,

Decalogi præcepta, quæ?

Dividuntur in Præcepta

Uuu 3